

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

ut lignum, in quo cuncto loco ceciderit, es-
set, Eccles. 11. v. 3.

*Secundus gradus erat Catharesis, quâ illi,
qui sive in vita, sive in doctrinâ delique-
rant, ab honorum gradu de jicabantur, sive
Clerici, sive in Magistratu constituti es-
sent.*

*Tertius erat Anathema, ubi prorsus ab
Ecclesiâ removebantur, nemine ipsos con-
verfatione ulterius dignante, nemine cum
ipsis cibum aut potum capiente, sed ex pu-
blico suggestu satanæ tradebantur.*

Hoc adeò rigorosè observatum fuit, ut
etiam iplis Principibus & Imperatoribus
non pepercirent, sicut exemplum Ambro-
sii Theodosium Imperatorem, ob cædem
civium Thessalonicensium, excommuni-
cantis testatur.

Utraq; clavis, est necessarius & utilissi-
mus Ecclesiæ thesaurus, pro quo Deo suf-
ficientes gratias agere non possumus. Verè
enim per territam Conscientiam vulgaris
homo consolari nequit, licet verbo Dei
eam erigere satagat: Clave solvente opus
erit, quam Christus in solatium pœnitentia-
tum ordinavit.

Præterea in Ecclesiâ offenduntur securi
& præfracti homines, qui piis vehementer
infensi, iisdem nocere student. Con-
tra hos clavis ligans tutela & propugna-
culum est probis, & nihilominus malis
ipsis salutare remedium ad agnitionem pec-
catorum & vita emendationem, licet car-
ni terrible & tædiosum sit, ut Luthers ait.

Genuini Christiani agnoscent potesta-
tem, quam Deus per Absolutionem homi-
nibus communicavit, Matth. 9. v. 8. nec lu-
dibrio habent, quando impenitentibus ira
Dei annunciat: sed metuunt, pœnitentia-
tiam agentes ad exemplum Davidis, cui

pœnitenti Propheta Nathan ait: Transtu-
lit Dominus peccatum tuum, 2. Sam. 12.
v. 9. 13.

Idem si fecerimus, & nos quoque gra-
tiam consequemur, Rom. 14. v. 4.

De Secundo.

Pergamus nunc ad alteram partem, *xi-
guratio, sive notitiam Christi contem-
platuri.* Hic proponitur nobis in Evan-
gelio præsente:

*1. Tanquam opportunus latifactor. Apo-
stoli congregati erant in concluso conclavi,
pleni timoris & consternationis, interius
ob malam conscientiam, quod à Domino
adeò turpiter secesserant; exterius ob me-
tum Pontificum, Seniorum, Scribarum &
Phariseorum, qui denudò scivire incipiebāt,
quia Jesus Nazarenus è sepulchro resur-
ixerat: Sed circa vesperam, cum nox ingru-
eret, & timor maximus foret, Christus ipsos
accedit, præsentia sua cosdem exhilarans, ut
præcedentis miseria obliti, ex animo gau-
derent, Christum à mortuis resurrexisse.*

Hunc morem Christus adhuc hodiè re-
spectu fidelium suorum observat, quos diu-
sæpe affligit, ut sperare teneantur, à custo-
diā matutinâ, ad custodiā matutinam, psal.
130. v. 5. Ex improviso verò advenit & lüp-
petias fert, ut omnes homines annuncient
opus Dei, Psal. 46. v. 10.

Ideoq; *horas & moras* ejus æquo animo
ferre debeimus. Peculiarē enim habet Ca-
lendarium, in quo dies, menses & hebdo-
mades non ita numerat, ut nos, sed mille
annos ante oculos ejus sunt, tanquam dies
hesterna, quæ præteriit, & custodia in no-
ite, Psal. 90. v. 4. Hinc est, quod crux no-
stra, ut ut longior, tantum punctum sive
momentum sit, Esa. 54. v. 7.

Dominica Quasimodogeniti.

174

Interea tamen fidelis est Deus, non patiens nos tentari supra id quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13. Habac. 2. v. 1.

Cogitemus, quod neque nos statim audiamus, si ad poenitentiam nos invitat; ideo non iniquè feramus, si nos aliquantisper sub cruce relinquat Deus, donec suo tempore surgat, Zeph. 3. v. 8.

Maria & Martha sorores Lazari miserunt ad Christum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Non autem statim accedebat ille, sed post quatriduanam sepulturam demum, cumque ē sepulchro in vitam revocabat, Joh. 11. v. 43.

Sic adhuc hodie opem suam tamdiu differt, donec humanum auxilium desinat, tum accelerat, ut sic illam magis commendet, nobisque gravior fiat. Unde nostrum erit, precationibus instare, & cum Jacobo dicere: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, Gen. 24. v. 26. Sic impetrabimus tandem, quod petierimus, conturbata enim sunt viscera ejus. Jer. 31. v. 20.

II. *Tanquam pacis recuperator.* Hac enim voce primū Apostolis suis gratulabatur post resurrectionem: Pax vobis.

Judeis familiare erat, ut in salutationibus suis dicerent: Pax tibi, 1. Sam. 25. v. 6. Sic & Christus discipulos suos his verbis alloquentur. Sed non nuda duntaxat salutatio est, sed hoc ipso exhibere ipsis vult omnia beneficia, per resurrectionem suam generi humano acquisita, qui pacem dedit, uno verbo omnia dedit, ait Basilius. Et Hieronymus hanc pacem nominat, *Saluatoris hereditatem*, in hac enim vocula comprehensum est, totum redemptionis nostræ negotium, Col. 1. v. 20. 22.

Quod si itaque tristitia implevit cor tuum, fuga eam hoc solatio: Pax tibi, surrexit

Christus hodie, cunctos replens solamine, hic te non deseret, neque derelinquet, Hebr. 13. v. 5. Psal. 34. v. 19.

Si conscientia peccatorum angit, Pax tibi, Christus propitiatio factus est, pro tuis & totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2.

Si maledictio legis terret? Pax tibi, Quem diligit Dominus castigat, Hebr. 12. v. 6. Rom. 8. v. 28.

Si infernus horrorem incutit? Pax tibi. Christus factus est inferni pestilentia, Os. 13. v. 14. emittens sanguine testamenti sui vincitos fuos de puteo, in quo non est aqua. Zach. 9. v. 11.

Si mors arcum tendit, deleturus te è regione viventium? Pax tibi, Christus absorpsit eam in victoriā, 1. Cor. 15. v. 4. Ut possis cum Simeone in pace abire, Luc. 2. 29. in pace requiescere, Es. 57. 2. Et cum Christo pacis principe manere semper, 1. Thess. 4. 17.

Ecce: pretiosum donarium, quod nobis Christus ē sepulchro attulit. Nos jam pacem habemus *supra nos*. Deo enim reconciliati sumus, per mortem filii ejus, Rom. 5. v. 10. Pacem habemus *intra nos*, deletum enim est, quod adversus nos erat chirographum, Col. 2. v. 14. Pacem habemus subter nos, diaboli enim opera dissoluta sunt, 1. Joh. 3. v. 8. Quis accusabit electos Domini? Rom. 8. v. 33. 34.

III. *Tanquam ministerii ordinator.* Hic enim denuo Apostolos suos ad Apostolatum vocat, & ait: Sicut me misit pater, & ego mitto vos. Ethoc cum dixisset, insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

Hac vocatio adhuc hodie ad omnes fidèles Ecclesiae ministros pertinet, qui non minus à Christo mittuntur, si legitimè votati

cati sunt. Iccircō tanquam Dei legatos eos suscipere, iisdem omnem obedientiam & benevolentia præstare debemus, legatione pro Christo fungimur, ait Apostolus, tanquam Deo exhortante nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, 2. Cor. 5, 20.

Quando verò hic Christus Apostolis dicit: Sicut me misit pater, & ego mitto vos: nō intelligendum id est, de operibus officii mediatori. Est enim & manet unus ille mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. Sed similitudo hec consistit.

1. In mandato. Ut enim à patre missus est ad evangelandum, & prædicandum, Es. 61, 1. sic etiam discipulos ablegavit, ad docendum omnes gentes, Matth. 28, 19.

2. In Effecto. Sicut enim Christi prædictio efficax fuit, ad poenitentiam, & remissionem peccatorum, Marc. 1, 15. Sic etiā Apostoli prædicaverunt ubiq; Domino cooperante, & confirmante, sequentibus signis, Marc. 16. v. ult.

3. In periculo. Sicut enim Christus tempore ministerii mundi odium & persecutio- nes sustinuit: sic & similiter Apostoli, Heb. 11. v. 37, 38.

4. In patrocinio. Sicut enim Christus à Patre cœlesti tutelam habuit, usque ad tempus passionis, quam voluntariè subibat: Sic Christus quoque discipulos patrocinii sui certos esse voluit, Zach. 2, 8.

5. In premio. Sicut enim Christus ad dexteram Dei patris exaltatus est: Sic & Chri-

stus Apostolis suis promisit, quod edere & bibere debeant super mensam suam in regno suo. Luc. 22. v. 30.

Omnis igitur legitimè vocati, & fideles Pastores, ministri Christi, & dispensatores sunt, mysteriorū Dei, 1. Cor. 4, 1. Sic ut hoc fine iisdem concredit binas illas Ecclesiæ claves, ut potestatem habeant cœlum poenitentibus peccatoribus referandi, idemq; impoenitentibus occcludendi, non quidem tanquam Domini, sic enim Christo soli attribuuntur, Apoc. 3, 7. sed tanquam ὑπηρέτων, 1. Cor. 4, 1. Psal. 115, 1.

Intercà magnum hoc nobis est solatium, quod miseri nos peccatores, qui quotidie delinquimus, Psal. 19, 13. ex ore Ecclesiastis peccatorum remissionē percipere, & misericordiā consequi, & gratiā invenire possimus in auxilium opportunum, Hebr. 4, 16.

Non proinde despicere debemus clavem hanc, sed cum gaudio usurperimus. Et Deus aliis quoq; clavibus, que in scripturā ipsi tribuuntur, utetur. Aperiet Dominus thesaurum suū optimū cœlum, Deut. 28, 12. Et effundet benedictionē ad abundantiam, Mal. 3, 10. Aperiet quoq; die novissimo tumulos nostros, & educet nos populū suū de sepulchris nostris, Ezech. 37, 22. Recludet quoq; Paradisum, & accipiet nos ad scipsum, ut ubi ille est, & nos simus, Joh. 14, 3. & videamus claritatem ejus, Joh. 17, 24. Fiat, fiat id, per

Christum, Dominum, & Salvatorem nostrum, Amen!

Dominica Misericordias.

Evangelium, Iohann. 10. v. 11. --- 16.

EXORDIUM.

Cum S. Patriarcha Jacobus oves socii sui Labani pasceret, fideliter munus hoc suum exaltabat, ut merito pastor bonus appellari possit,

